

CAPUT XVII.

De Sepulcro B. Virginis Jerosolymis posito.

In Sandinum Censorem.

ANIMADVERSIO XVII.

I. Bene habet, quod mihi nunc tandem socius adjungas, & quidem magni nominis Virum Clarissimum Tillemontium; ut vel sic Veteriam Virgam tuam tolerabilis excipiam, vulgatumque dictum probem, solatium est miseris socios habere penarum: Si tamen miseriae genus est habere te Censorem, & adversarium. *Eruditissimus Tillemontius*, inquit, & qui eum sequitur *Theologus Serry*, *Testimonium Euthymii*, & *Juvenalis*, qui *Beatam Virginem Jerosolymis sepultam dicunt, non admittunt*. Scilicet grande scelus! Quid hoc rei sit, paucis expono, ut criterii tui facilitatem omnes percipiant.

Exercitatione 66. §. 4. Juvenalis Jerosolymorum Episcopi Rescriptum, Marciano & Pulcheria datum, (quo Mariae Virginis sepulcrum Gethsemani juxta Jerosolymam situm testatur) uri dubium rejeci: Idemque Rescriptum ad faciendam integram fidem, tamen ipsa datum effect, minus idoneum dixi. Primo inquam rejeci uri dubium, quia jactati hujus rescripti testis primus omnium productus *Euthymius Historicus*, ignoti nominis Scriptor, & tota retro antiquitate ignoratus. Secundo faciendae fidei minus idoneum pronuncia-vi; quia Juvenalem lubricae fidei virum, turbarum in latrocinio Ephesino excitarem incertorem, variorum criminum in reum, & falsatorum instrumentorum manifestum, dicitur S. Cyrillus Alexandrinus, & S. Leo Romanus Episcopus.

Tu vero ut meum illud de Juvenalis Episcopi Jerosolymitani Rescripto, deque Euthymii testimonio iudicium criticum cavilleris, minusque consideratum ostendas, duo perinde reponis: Primo *Euthymium*, inquit, tota retro antiquitate ignoratum nemo dixerit, nisi ille, si quis inter homines talis est, qui omnia antiquitatis monumenta legerit; atque certo sciverit, nulla esse, quae de hoc Euthymio narrent, nulla perisse quae narrent. 2. ad refellendum, inquit, Juvenalis de Mariae sepulcro testimonium non satis est dicere, illum fuisse virum parum Catholicum, improbum, atque adeo ad falsa comminiscenda paratum: Probatum esse est, atque ostendere, ipsa hanc Historiam, de qua loquimur, ad eo fuisse praesertim sine ulla necessitate confictam; Non enim tunc de Fidei negotio, sed de facto agebatur, de quo in praesens, non de illius moribus querendum est. Quo tu perbello responso, non de me tantum, sed & de doctissimo Tillemontio triu phas, aut certe triumphum tibi accinis gloriosissimum.

II. Dicitis tamen mihi, (ut primam illam Responsum tui partem distringam loco primo) undenam tuam illam Criticam scientiae legem hauristi: ut quis Scriptorem, tanquam omni retro antiquitate ignoratum, rejicere possit, necesse esse, ut omnia antiquitatis monumenta legerit; certoque sciat, nulla esse quae de eo Scriptore narrent, nulla perisse quae narrent? Profecto sicubi lex illa est, itaque firma; nemo unquam erit aut fuit, qui Scriptorem aliquem eo titulo rejicere possit, aut poterit, quod omni retro antiquitate fuerit ignoratus: cum nemo unquam fuerit, futurusque sit, qui id sciat omne, quod sciri debere contendis, ut iudicium hujusmodi de aliquo Scriptore feratur. Immo nullus fuit, aut futurus est unquam, qui factum historicum aliquod, ex to-

tius retro antiquitatis silentio rejicere possit, aut forte poterit: cum nemo unquam fuerit, futurusque sit, qui id certo sciat, nulla alicubi latere antiquitatis monumenta, quae factum illud enarent, nulla perisse quae narrent. Et tamen valere in re Historica argumentum ex generali silentio petum, nemo negat, nisi qui primas Criticam scientiae leges ignorat, a Melchiorre Cano lib. 11. de locis elegantioribus, & a praestantissimis omnium aetatum Historicis observatas. Noveris itaque Doctor Excellentissime, satis superque esse, ut factum historicum aliquod tanquam falsum, ex generali silentio rejiciatur, si in nullo referatur veteris memoriae monumento, quod in virorum eruditorum notitiam venerit. Nec ultra necesse esse, ut sciarur, (quod a mortalium nemine sciri potest) nulla latitare alicubi monumenta, quae factum narrent, nulla perisse quae narrent.

III. Quod alteram Responsum tui partem attinet, elaberis ut anguis, at non effugies. Do utroque concedo, ad rejiciendum Juvenalis, in re mere Historica testimonium, satis non esse, si vit improbus parumque Catholicus afferatur. Ast ego non talem dumtaxat illum esse probavi, sed reum insuper falsatorum instrumentorum manifestum, quo eum ornant titulo S. Cyrillus Alexandrinus, & S. Leo Romanus Pontifex. Qui autem aliorum scripta falsare solitus erat, annon falsam Epistolam Marciano, & Pulcheriae scribere potuit? falsam inquam, non quae suum mentiretur auctorem, sed quae falsum de Mariano sepulcro, Gethsemani juxta Jerosolymam extante, testimonium contineret. Nemo quippe non videt, profundae calliditatis viro longe facilius fuisse, falsum proprio scripto seu instrumento testari, quam falsum instrumentum aut scriptum alteri supponere.

Neque obest quod ais, nullam Juvenali fuisse necessitatem, falsum de Mariano sepulcro Jerosolymis, seu juxta Jerosolymam extante, renuncian-di; quo facti, non Fidei quaestio tunc esset. Esto enim absoluta necessitas nulla foret, attamen non modica illa exinde accessura erat utilitas: Cum ex publicato Mariano Sepulcro Jerosolymis posito, Ecclesiae Jerosolymitanae, cujus sacris praeerat tunc Juvenalis, celebritas accessura esset longe maxima. Uti profecto Ecclesiae Ephesinae decus longe maximum accessisse voluit, qui Deiparam Virginem sepultam Ephesi opinatur.

De cetero quam falsa, mendaxque fuerit ea Juvenalis Episcopi narratio, Marciano & Pulcheriae facta, de Deiparae sepulcro Jerosolymis extante; illud probat aperte, quod nemo Veterum, qui celebriora sepulcra, ceteraque monumenta sacra Jerosolymis extantia retulere, non Hieronymus, non Epiphanius, non Eusebius Caesariensis, non Sozomenus, non Theodoretus, Mariani sepulcri meminerint: primusque omnium mentionem illius fecerit Venerabilis Beda, octavo verterente saeculo, libro de locis Sanctis Cap. 6. Tandem sacrum illud sepulcrum ignotum delituisse, si jactata illa ad Marcianum & Pulcheriam Epistolae, praesens olim Patribus & Scriptoribus nota probataque fuisset, tanquam quae fidem integram faceret.

CAPUT XVIII.

& Ultimam.

De Sepulcro B. Virginis Ephesi posito.

In Sandinum Censorem.

ANIMADVERSIO XVIII.

& Ultima.

I. Sed quo tandem cavillandi quaecumque scripserim nimis ardor te abripit? qui cum de Mariano Sepulcro Ephesi posito, a me scripta impugnat recta non possis, oblique saltem arrodas; momenta quibus factum hoc, verisimilius esse probavi, velicando. Et quidem ego thesaurum illam verisimilem tantum dixi, non certam & indubiam. Ephesi, scripsi ego Exercitatione 66. §. 5. *marianam Virginem ac sepulcrum verisimilius existimo*. Idque propterea rationibus comprobavi; quae si modo probabiles maneat, talesque subsistant, (tales enim ad factum verisimiliter adtribuendum abunde sufficiunt) nihil contra me obtines; rationesque meas dissolvisses, non nisi Thraconica ostentatione gloriari potes.

Eja itaque expendamus, qua tandem subtilitate, allatas a me rationes dissolveris. Ratio prima sic se habebat: *Patres tertii Concilii oecumenici, Ephesi anno 431. celebrati, in Epistola Synodica ad Clerum & populum Constantinopolitanum, Nestorium ea in urbe Ephesina damnatum scribunt, in qua JOANNES THEOLOGUS, ET DEI GENITRIX VIRGO SANCTA MARIA. Qua loquendi ratione nihil aliud significatum voluere, quam Joannem Theologum & Virginem Deiparam illic esse, subintellecto scilicet verbo EST, quod juxta graecae & latinae grammaticae leges, non modo subintellectum commode, verum etiam eleganter. Illic vero esse, utique inhumatum; cum alio tunc modo illic esse non possit. Quod enim reponunt aliqui multum esse Synodi phrasim, suppleendumque, ALIQUANDO HABITARUNT, aut SACRAS AEDES HABENT, aut MAGNO IN HONORE SUNT, ut alius plane reddatur sensus, frivolum est: Cum textus mutilationem & depravationem, nullis proditiis Codicibus probent. Contra vero nulla fingenda sit mutilatio, ut verbum EST, pro graeci & latini idiomatis elegantia & usu subintellectum. Hanc ego primam thesibus mee probationem protuli.*

Audiamus ergo; Doctor eximie, quam tu proferas solutionem: sed ritum teneatis amici. Primam, inquit, habet dubitationem, quid sit quod Patres Ephesini ajunt his verbis: in qua Joannes Theologus, & Deipara Virgo Sancta Maria. Alii qui enim, ut Labbeus, & Gardinus notant ad marginem citate Epistolae, subaudiri volunt, aliquando habitavit: alii aedes habent: Quorum conjectura multo probabilior videtur, quam conjectura adversariorum, qui putant deesse verbum est. Egregie sane & erudite responsum? Nempe quod jam a me in antecessum est occupatum, pro solutione venditas. Quodque calliditatis est maxima: ut & ego ex meris conjecturis in probationem venisse videri possim, id mihi gratis affingis quod verbum est, in Ephesine Synodi propositione, qualis in omnibus Exemplaribus legitur, deesse putem; quod idcirco ad rectum sensum edendum, suppleri debeat. Cum contra potius & nihil deesse, & nihil esse suppleendum dixerim apertissime: quia juxta graecae & latinae grammaticae leges verbum est, non modo subintellectum commode; verum etiam eleganter. Qua certe consideratione perpicuum feci, nativum magis esse, atque

ita probabilior, quem ego ventilatae propositioni sensum tribui, quam qui a te, tuisque praecursoribus datur. Quandoquidem qui a me tribuitur sensus, nullo subintellecto additamento per sese constat, & univocae graece aut latine scienti obvius est; alter nisi subintellecto additamento, anigmaticus est.

II. Ne te tamen inauditum dimittam, dicitis rogo te, quorum iudicio quidem tuo, multo probabilior est Labbei & Gardini conjectura, quam mea? Nempe respondes, quia si Mariani sepulcri Ephesi quondam positi memoria tunc temporis extitisset; nec Divus Epiphanius, qui paulo antea vixit, de morte Virginis dubitasset; Nec Juvenalis, qui Ephesino Concilio interfuit, Virginem Gethsemani juxta Jerosolymam sepultam scripisset, dato ad Marcianum, & Pulcheriam epistolari Rescripto: aut si forte scripisset; Episcoporum Palaestinarum aliquis, qui una cum illo Ephesino Concilio interfuerat, falsi convincere potuisset.

Sed & illud Responsum tuum pari, qua profertur, facilitate refellitur. Nihil quippe vetat, quominus Epiphanius de Deipara morte dubitaret, etsi anno 431. illius sepulcri memoria extaret Ephesi: quia nondum in Cypro, ubi ille debat Episcopus, ore fama pervagata erat. Nihil quoque vetat Juvenalem, profundae calliditatis Episcopum, variorum criminum reum, & falsatorum instrumentorum manifestum, sepultam juxta Jerosolymam Virginem scribere; quin ab aliquo Palaestinae Episcopo, qui Concilio interfuerat, falsi convinceretur: quia nullus forte una cum illo interfuit Episcopus Palaestinus; aut si quis interfuit, nullam scriptam ab eo Epistolae ad Marcianum notitiam habuit; aut si illius forte notitiam habuit, eidem Juvenali amicitiae vinculo junctas erat, iidemque commodis & utilitatibus, pro augenda Ecclesiae Jerosolymitanae celebritate, ducebatur.

III. Altera a me producta ratio sit habet. Idem de Deipara, ac de Joanne ea propositione significatum voluere Ephesini Patres: (In qua Theologus Joannes, & Dei Genitrix Virgo S. Maria) Alii quippe plane significare eos voluisse, Joannem illic esse inhumatum; ac non tantum, illic aliquando habitasse, aut illic sacrum aedem, seu templum habere, aut magno illic in honore esse: cum Joannem illic inhumatum esse, summae sepulcrum habere, alia Sacrae Synodi Monumenta testentur. His ergo verbis significatum voluere, Deiparam Virginem illic esse tumulatam.

Audiamus modo quam tu proferas solutionem. Facilis est, subjungis, atque expedita responsio. Nam cum Joanni perinde ac Mariae Templum Ephesi positum esset, aequae significare poterunt Ephesini Patres, tam Joannem, quam Mariam Ephesi sacrum aedem habere. Atqui hoc potius, quam illud eos significare voluisse crediderim: quandoquidem aedes Mariae Virgini dicata, simpliciter Sancta Maria appellatur.

Belle id quidem & expedite, ad declinandam, quae inter nos est, quaestio; minime tamen ad resolvendam, ac dirimendam. Immo in primam Dialecticam legem semper impingis: Ne quod in quaestione venit, ac de quo disputatur, pro certo ponatur. Queritur scilicet inter nos, num ea Ephesini Concilii propositio: in qua Joannes Theologus, & Deipara Virgo Sancta Maria, verbo o constet aliquo suppleendo: id tu certo supponis, immo quod suppleendum sit verbum pro arbitrio comminisceris, sacrum aedem habent. Dum ergo quod commentus es supplementum recte probaveris, cedam facisque submittam.

IV. Tertia a me adducta ratio his verbis expressa erat. Si Ephesi Deipara aliquandiu habitavit, Joannem utique secuta, qui eam in sua officia

Obsequia receperat, quod alii non egre concedunt; quid tam naturale est, quam ut illic quoque mortuae sit, & sepulta? Cum & tunc ultimum vite cardinem praereteret; nec nisi egre Ierosolymam redire posset, extremum illic diem obitura.

Tu vero quid ad haec? Id tantum, inquis, ducitur ex conjectura, sed ea parum firma. Etenim nec de tempore, quo Joannes Ephesum venit, nec de anno aetatis quem agebat Maria, cum ad Superos abiit, quidquam certi affirmari licet.

Sic ita porro ut ais, mera sit conjectura. Satis tamen superque valet, ad hanc ipsam, quam de Mariano sepulcro posui Thesim comprobendam. Cum enim eam uti *verisimiliorem* duntaxat posuerim, non uti certam atque indubiam; huic probandae, & asserendae thesi, factis abunde valet conjectura, ex probabili argumeto petita, quam ultro citroque concedis. Quare eam a me productam rationem dissolvisse gloriari non potes, donec suam illi probabilitatem ademeris.

V. Superest quarta ratio, qua Marianum sepulcrum Ephesi situm nonnulli probant, in hunc modum efformata. *Constat ex Actis Ephesini Concilii, Ecclesiam magnam Ephesinam Mariae Virgini dedicatam fuisse: at nondum in morem venerat, ut Ecclesiae in Sancti alicujus honorem consecrarentur, in quibus ejusdem Sancti reliquiae custoditae non essent.*

Non tantum Senem juvenis, verum etiam hominem tuo iudicio doctissimum, & peritissimum non dubitasti reprehendere. Ego autem & me doctissimum, & peritissimum nescio; immo me non esse certissime scio: Quae tamen in me reprehendisti, non corrigere humilitas suavit, sed ea parum fateri, parum defendere veritas ipsa coegit. S. August. lib. 4. de anima cap. 1.

erant igitur in Ecclesia Ephesina, conditae reliquiae Deiparae Virginis.

Hanc tu rationem a nonnullis allatam haud infeliciter refellis, ac etiam falsi convincis, Virum eruditissimum Michaelen Lequien in suis ad D. Joannem Damascenum annotationibus exscribendo. Verum ut hanc ego rationem nequaquam attuli, immo de ea nec per somnium cogitavi: non est cur eam contra insultus tuos tueri, ac defendere debeam. Servent apertum interest fines suos, & sua ipsi munimenta custodiant. Ego Deo favente & fines meos servavi haecenus & mea custodivi munimenta, contra quoscumque conatus tuos. Stant itaque firmæ, & inconcussae rationes, quibus B. Virginis sepulcrum Ephesi positum propugnavi, nec nisi irritum conatu a te vellicentur, ac reselluntur.

Atque hic animadversionum mearum finis esto, ubi censurarum, atque cavillationum, quibus me ex proprio nomine appellatum ad scribendum provocasti, exitus fuit. De cetero in alia, quae me nulla ratione contingunt, Historiae tuae errata, lapsus, ac naevos animadvertere nolim; ne quis me male in te animatum existimet, vicemque tibi rependere voluisse suspicetur: quod quantum a Catholica religione, tantum ab indole mea animoque alienum est.

INDEX RERUM PRÆCIPUARUM.

*Primus numerus designat Caput, secundus
Paragraphum.*

Alexandrinorum id erat proprium, ut non a Brutis, sed a suis popularibus cederentur. V. 1.

Ambrosius S. docet, Mariæ Magdalena primam apparuisse Christum post suam resurrectionem. VIII. 2.

Baronius ex Eusebio Caesariensi probare aggreditur, speluncam, in qua natus est Christus, non in Bethleem, sed foris in agro suburbano positam fuisse. I. 4. Probare tenet, Brutios non fuisse tortores Christi, ab eaque infamia eos liberare nititur. V. 1.

Beda (Venerabilis) docet, tres tantum fuisse Pastores, qui Christum recens natum adoratum venerunt. II. 1. Unus est ex tota retro antiquitate, qui quaternarium Pastorum numerum dilinente receperit. 2. Omnium primus Mariani sepulcri Ierosolymis extantibus meminit. XVII. 3.

Bethleem nomine, alterutrum Urbis aut Vici, ipsa quoque suburbana tenentur, atque conjuncta. I. 1.

Bruttii cum a Romanis ad Annibalem descenderent, coacti sunt ignominiae causa operam suam in puniendis fontibus navare. V. 1. Hos fuisse tortores Christi tuetur Serry adversus Baronium, & Sandinum. 2. 3.

Caganobus quatuor retulit Pastores adoratores Christi infantis, in perverto Codice graeco anonymo, in Palatina Heidebergensi Bibliotheca asseruato, memoratos, atque ex propriis nominibus appellatos. II. 1. Non existimat autem quatuor revera fuisse pastores, sed nominibus nuncupatos. *Ibid.* Non commovetur in eos, qui simpliciter darent admittent Pastores, usque sua simpliciter darent nomina; sed in eos duntaxat, qui iis nominibus ad magicas incantationes abutuntur. 2.

Christus Jesus extra Bethleem natus est, in agro tamen suburbano, Urbi seu Vico conjuncto. I. 1. Nec repugnat sacris literis attestantibus, Christum in Bethleem natum. *Ibid.* Probatur Christi extra Bethleem natus ex Divo Iuliano. *Ibid.* A tribus tantum Pastoribus, teste Beda, recens natus adoratur. II. 1. Adoratur a Magis, non Regibus, sed vulgaris conditionis hominibus, sphaerical scientiae peritis. III. 1. Non gestavit Crucem foetis humeris una cum Simone Cyrenaeo. IV. 1. Quinam fuerint ejus tortores. V. 1. & seq. Miles qui lancea latus ejus aperuit, non fuit Longinus nomine. VI. 1. Ex ejus umbra non est rependenda causa conversionis latronis penitentis. VII. 2. In ipso mensie in Crucem est actus. 5. Nec obitat Joannes scribens: *Erat Parasceve Pascha, hora quasi sexta.* *Ibid.* Nec Marcus dum ait: *Erat hora tertia, & crucifixerunt eum.* *Ibid.* Surgens a mortuis non Deiparae Virgini primus, sed Mariæ Magdalena, se manifestavit. VIII. 1. Ejus imaginem Nicephorus Callistus delineavit. IX. 1. Pictas illius Imagines vidisse testatur Eusebius. *Ibid.* Edessena ejus imago. X. Ejusdem imago Sudario impressa. XI. 1.

Cruces tres, Christi scilicet & Latronum, aequalis fuere altitudinis, ut experimento comprobatum est, quando ab Helena inventae sunt, humoque desolatae. VII. 2.

David. Ejus oraculum psal. 71. non est peculiariter dictum de Magis Christi adoratoribus, sed de Regibus generatim, populisque gentilibus ad veri Dei cultum vocandis. III. 6.

Ecclésiæ die Epiphaniae celebrat initia vocationis Gentilium ad veri Dei cultum. III. 6.

Epiphanius S. primas omnium dubium movit de morte Deiparae. XIV. 2.

Evangeliorum Scriptores non solent quascumque res narrare, sed ordine temporum enarrare. VII. 3.

Eusebius Caesariensis scribit, speluncam, in qua enixa Virgo deposuit infantem, foris in agro suburbano positam fuisse. I. 4. Ex quo eruitur, agrum illum extra Bethleem fuisse. 5. Scripsit, visas a se Christi pictas Imagines, ad tempus usque suam religiose serva-

tas. IX. 1. Quae tamen Ethnicorum injuria fortasse perierunt ejusdem Eusebii aetate. 3. Si quas primum viderat Christi Imagines postea extitissent, easdem ad Constantiam Licij uxorem misisset. *Ibid.* Nec quidquam obsesse poterat, eam prosteri sectam Arianorum, seu Theopaschitarum. *Ibid.*

Francorum nomen omnibus ferme Occidentalibus, ac maxime Italis olim fuit commune. V. 4. Qui ait, Francos fuisse Christi crucifixores Scribulator infusus, non Gallos indigitat, sed aperte Romanos. *Ibid.*

Hora sexta Judaica incidit in meridiem. VII. 5. Herodes non fuit Romanus, sed Romanis clientelari jure subiectus. III. 1.

Julianus S. Christum extra Bethleemum in agro suburbano natum asserat. I. 1. Hanc esse Sancti Doctoris mentem negat Sandinus; tueritur tamen ex adverso Natalis Alexander, Tillemontius, Cardinalis Franciscus Toletus, & Sigismundus Galenus. *Ibid.* Nec non Joachimus Peronius Benedictinus, qui viatica graeci contextus verba emendat. 2.

Latronis penitentis conversionem ab umbra Christi in illum inclinante rependam memorat S. Vincentius Ferrerius. VII. 1. Hunc ad Christum conversum fuisse antequam tenebrae ferent super universam terram asserit S. Leo Magnus. 3. At negant Patres alii bene multi. *Ibid.* Nec S. Leonii suffragatur Divus Lucas in suo Evangelio. *Ibid.* Illius conversionis causam falsam, imo proflus absurdam assignat Jacobus de Voragine. 4. Aequae falsae sunt quae apud Pseudo-Anselmum hac de re leguntur. *Ibid.*

Longinus commaniter dictus ex sinistra graeci textus intelligentia, aut etiam incauta lectione miles ille, qui lancea Christi latus aperuit. VI. 1. Quippe lanceae nomen incaute in militis nomen translatum est. *Ibid.* Id eruitur e multis graecae linguae peritissimis viris. *Ibid.*

Magi adoratores Christi num fuerint Reges, quaestio est celeberrima inter Sacrarum Scripturarum interpretes. III. 1. Pro affirmativa sententia stat Sandinus adversus Hyacinthum Serry. 2. 3. 4. 5. 6. Pro negativa Serry adversus Sandinum. *Ibid.*

Maria Christum peperit in specu quodam prope vicum Bethleem. I. 1. Omnium prima non vidit Christum a mortuis suscitatum. VIII. 1. De ejus facie loquitur S. Augustinus. IX. 2. Ex Augustini & Hieronymi auctoritate dubium incertumque ejus Patris nomen. XII. 1. Anno aetatis suae undecimo Virginitatem vovit, parentibus viventibus & consentientibus. XIV. 1. 2. *Quaestiones*, hoc est artem ad viduum exercens dicitur a Tertulliano, & D. Hieronymo. XV. 1. De ejus morte primus omnium dubium movit Divus Epiphanius. XVI. 2. De ejus sepulcro Ierosolymis extante. XVII. 1. 2. 3. Verisimiliter mortua est, ac sepulta Ephesi. XVIII. 1.

Maria Magdalena omnium prima vidit Christum a mortuis suscitatum. VIII. 1. 2. Melchioris Cani observatio, ut evincat, Magos Christi adoratores fuisse Reges. III. 1.

Nicephorus Callistus hitoricus parum accuratus ac diligens. IX. 1.

Palchalius Radbertus probabiliter tantum, non certo regiam dignitatem Magis Christi adoratoribus tribuit. III. 5.

Pastores, qui Christum recens natum adoratum venerunt tres fuere ex Beda. II. 1. Ex vetusto quodam Codice a Casaubono relato tuere quatuor. *Ibid.* Eorum nomina. 2. His nominibus nonnulli abutuntur ad magicas incantationes. *Ibid.* Eorum nomina, quae graeca, optime congruere possunt viris Judaeis. *Ibid.* Probatur exemplo Divi Stephani primi Diaconi. *Ibid.* Eorum numerus non desinitur. *Ibid.*

Pictorum signum est, Crucem Christi sublimiorem fuisse, quam Latronum. VII. 2.